



NOV 1 1917

Berlin Collection

11117

BS 2387  
R 37

DE

# PETENDA RERVM

QVAS LIBRI N. T. CONTINENT, E LIBRIS V. T.  
APOCRYPHIS ILLUSTRATIONE.

DISSERTATIO THEOLOGICO EXEGETICA

QVAM

PRAESIDE

# FRANCISCO VOLKMAR REINHARD

THEOLOGIAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORD. AEDI  
ARCIS ET ACADEMIAE PRAEPOSITO CONSIST. ELECTOR.  
ASSESSORE ET PHILOSOPHIAE PROF. EXTRAORD.

A. D. OCTOBR. A. R. S. MDCCLXXXVII.

E NVMERO EORVM

QVI PRIVATIM SCRIBENDO AC DISSERENDO SE  
EXERCVERVNT

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

IOANNES-GODOFREDVS JEHNICHEN

HERZBERGA - SAXO

AA. LL. M. ET R. M. C.

VITEMBERGAE

TYPIS IO. TZSCHIDRICH

Wittenberg

1787

10/10/10

10/10/10

8-

10/10/10

SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS SAXONIAE

IN

SENATV ECCLESIASTICO SVMMO  
PRAESIDI PERILLVSTRI

ET

CONSILIARIIS

MAGNIFICIS SVMME REVERENDIS ILLVSTRIBV

CONSVLTISSIMIS DOCTISSIMIS

DOMINIS AC PATRONIS


INDVLGENTISSIMIS

HOC SVMMAE PIETATIS MONVMENTVM

CONSECRAT

IISDEMQUE SE OBSERVANTISSIME COMMENDAT

AVCTOR.





DE  
PETENDA RERVM

QVAS LIBRI N. T. CONTINENT, E LIBRIS V. T.  
APOCRYPHIS ILLUSTRATIONE.

**V**el inique, vel imperite iudicare censendus esset, qui libros Veteris Testamenti Apocryphos virorum doctorum studia expertos esse vellēt inficiari. Omni potius tempore fuerunt; qui eos attentione studioque dignos existimarent suo. Quo factum est, vt varie de iis quaerent. Quaesuerunt autem de tempore, quo libri isti sint confecti, de lingua, qua singuli consignati, de auctoribus, a quibus profecti, de eorum cum libris Canonicis, quos vocant, vel conuenientia, vel repugnantia, de eo, quando et a quonam Bibliorum corpori fuerint annexi, de eorum pretio et auctoritate in ecclesia cum Iudaica, tum Christiana, et quae sunt reliqua eiusmodi capita. Elaborarunt etiam multi in eo, vt iis vsum aliquem ad Noui Foederis libros inesse demonstrarent. Vocabula enim paullo difficiliora in Nouo Testamento obuia, cum nomina, tum verba, integras formulas, particulas denique ex iis diligentissime felicissimeque illustrarunt. Nostra imprimis aetate non defuerunt viri docti, qui vertendo, commentando, comparando, illustrando optime de his libris promereren-

6

ur. Quis est, quin hic nomina Virorum eruditissimorum, MICHAELIS, a) HASSE, b) LINDE, c) KLEUKER, d) aliorum, mente repetat et cogitatione? qui suis translationibus, animaduersionibusque horum librorum intelligentiam mirum in modum adiuerunt, interdum etiam verba Noui Testamenti egregie ex iis exposuerunt. Quemadmodum vero his viris laus est tribuenda summa, propter id, quod egerunt, ita non est negligendum hoc, quod reliquerunt. Latius enim patere videretur vsus librorum Apocryphorum Veteris Testamenti, quippe qui non solum ideo profunt interpretationi Noui Testamenti, quia verborum eius vera vis ac potestas inde potest cognosci, sed etiam rerum, quae Nouo continentur Testamento, explicatio ex iisdem hauriri. Quidni enim multae opiniones, quae Iudaeorum infederunt animis, multa eorum instituta, multi eorum mores ac ritus ex his perspiciantur libris, qui vel a Iudaeis sunt scripti, vel res Iudaicas persequuntur? Quantam vero id habere debeat vim ad multos Noui Testamenti locos melius intelligendos facile cuique patet, qui perpendit, a quibus Noui Testamenti libri fuerint confecti, quinam homines in iis occurrant loquentes et agentes. Exhibet nobis Nouum Testamentum ab auctoribus profectum Iudaeis maxima ex parte homines aut Iudaicos, aut quondam sacris addictos Iudaicis: Sistentur in eo Iesus et eius legati, partim ipsi quoque Iudaei, partim inter Iudaeos degentes, ad eos dicentes, cum iis versantes, eos instruentes. Occurrant igitur cum in Iesu et Apostolorum, tum in reliquorum Iudaeorum sermonibus et omni ratione agendi permulta, necesse est, quae vel omnino, vel rite intelligi nequeant, vel quorum denique causa adpareat nulla, nisi Iudaeos, id est, eorum opiniones, mores, vitae priuatae, instituta publica, ritus, omnemque eorum cogitandi sentiendique rationem habueris cognitam. Vnde vero haec omnia melius possint cognosci, quam ex Iudaeorum scriptis? Neque vero hic adeo multum refert,

- a) Deutsche Uebersetzung des ersten Buchs der Maccab. mit Anmerk. 1778. 4.
- b) Das andere Buch der Maccabaeer neu überferzt mit Anmerk. und Untersuch. Jena 1786. 8. — Salomo's Weisheit neu überf. mit Anmerk. u. Untersuch. ib. 8.
- c) Sittenlehre Iesu des Sohns Sirach. Neu überferzt mit erlautehenden und kritischen Anmerkungen. 1782.
- d) Salomonische Denkwürdigkeiten und Uebersetzung des Buchs der Weisheit mit Anmerkungen. Riga 1785. 8.

refert, siue vere ea sint gesta, quae his libris continentur, siue ficta; modo sint libri ab ingeniis profecti Iudaicis, modo exponant, quomodo Iudaei cogitarint, fenserint, egerint. Quae cum ita sint, intelligitur, ipsum librorum Apocryphorum ingenium, ipsam eorum indolem esse eiusmodi, vt ex iis necessario multa debeant posse deriuari, quorum aliquis esse possit vsus ad res N. T. contentas melius intelligendas, neque N. T. libros cum Apocryphis temere contendi atque conferri. Quo enim iure tot literarum sacrarum interpretes Graecorum Romanorumque scripta in vsum N. T. conuerrere studuerunt, eodem, quin maiori, iure Iudaeorum libros ad eundem vsum licebit adhibere. Minime quidem cum iis facere possum, qui sanctiores Codicis Sacri paginas profanari clamant, quoties locos Scripturarum, cum verborum, tum rerum obscuritate inuolutos ex profanis Scriptoribus collustrari vident. Negari enim non potest, multa in Noui Foederis libris vestigia rerum et Graecarum et Romanarum deprehendi; negari nequit, multos ritus a gentiliu consuetudine ad Iudaeos esse profectos, quae omnia non nisi ex profanorum scriptis possunt illustrari. Lubentissime igitur largior, Scriptores graecos et latinos, quamuis ab illa doctrina, quae diuinis traditur literis, alienos, harum tamen, si recte illis vtaris, optimos esse interpretes. Sed si qui sint libri a Iudaeis profecti, et in quibus non tam hinc inde quaedam rerum Iudaicarum reperiantur vestigia, quam qui potius in rebus Iudaicis exponendis omnino versentur, hos igitur amplio rem debere vsum praebere, vel ex iis ad intelligendum est facile, quae paullo ante disputauimus. Iam etsi quidem tales sunt libri V. T. Apocryphi, dolendum tamen est, critica horum librorum editione nos adhuc carere; quam si quis voluerit adornare, is quidem et ob multiplices Manuscriptorum Codicum, Versionumque varietates, et ob innumeras interpolationes multum susciperet laboris, sed tamen horum librorum vsum etiam ad Nouum Testamentum redderet certiore. Vt enim nunc se habent hi libri, periculum saepe est, ne a vera multorum locorum sententia aberramus, eamque deprauemus. Vtatur tamen his, quae adsunt, meliora sperantes. Habuit igitur sane SEMLERVS, S. V. quod optaret, e) vt aliquis libros Apocryphos ita sibi sumeret legendos et tractandos, vt rerum, quae N. T. insunt, rationem haberet.

e) In libro, cui inscriptum est: *De antiquo Christianorum statu.*



ret. Equidem, non quo huius Viri voluntati satisfacerem, quod et longius foret, quam pro eiusmodi libelli breuitate, et maioris ingenii, quam pro mei tenuitate, sed quo vires, quas sentio, quam sint exiguae, in loco a literis theologicis non alieno experirer, cum ex legibus societatis, cui sum adscriptus, libellus aliquis esset ad disceptandum publice a me proponendus, hunc locum breuiter tractandum suscepi. Itaque non nisi aliquot specimina edere volui, ex quibus utilitas, quae ex libris Apocryphis in res, quas N. complectitur Testamentum, redundet, aliquo adparere modo posse mihi videtur. Ne vero omni careat hic libellus ordine, ita versabor, vt primum eiusmodi afferam locos, qui pertinent ad quasdam Iudaeorum opiniones, easque vel arctius cum religione coniunctas, vel in vita eorum obuias communi, vnde nonnulli N. T. loci possunt illustrari; deinde vero quosdam proferam Iudaeorum ritus, mores, et instituta, quae ex libris quoque Apocryphis cognoscuntur, et quorum cognitio aliquam ad N. T. illustrandum vim potest habere.

Quaeritum est a multis, et nuper a S. V. DOEDERLEIN, *f)* cur Iesus nunquam expressis sit verbis professus, se venisse eo quoque consilio, vt Mosis auctoritatem meliori tolleret doctrina. Cuius in silentii causis fuisse inter alia putauerim quoque hanc singularem Iudaeorum opinionem, suam religionem fore perpetuam. Quae eorum opinio ex his duobus locis Tob. c. I, v. 6. et Baruch IV, 1. elucescere videtur. Priori in loco Iudaeorum νόμος audit *πρόσταγμα αἰώνιον*; idem in posteriori vocatur *ὁ ὑπάρχων εἰς τὸν αἰῶνα*. Adparet igitur, quatenam fuerit causa orationis Iesu, quae habetur Matth. c. V, v. 17. 18. et eius, quae legitur Luc. c. XVI, 17. Hac Iesus propterea tunc usus esse videtur, quod in antecedentibus dixerat: *ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται ἕως Ἰωάννη*; quae verba cum magnificae Iudaeorum de νόμῳ suo opinioni non admodum fauere videri possent, Iesus, reconciliaturus quasi Iudaeos, addit ea, quae v. 17. relata leguntur. Huc accessisse videtur, quod quaedam Iudaeorum praecepta aliter, quamquam rectius, explicare decreuerat. Ad stabiliendam Iudaeorum de νόμῳ perpetuitate *g)* opinionem facit quoque locus Sap. Salom. XVIII, 4, vbi

*f)* Vid. DOEDERLEIN'S christl. Religionsunterricht, Th. I. S. 160. ff.

*g)* Haec notio iam inest Ps. CXIX, v. 152. et pluribus huius Psalmi locis v. c. Versibus 89. 90. 96. 98. 142. 144. 152. 160. Ps. 104, 5.

vbi ἁφθαρτον νόμος φῶς occurrit. h) Sed ne cui mirum esse videatur, Iudaeos sperasse, νόμον ipsorum fore αἰώνιον a parte post, ut cum schola loquar, is perpendat, quaeſo, eosdem a parte ante aeternitatem quandam et tribuisse. Etenim, quae erat eorum de religione sua nimis magnifice sentiendi ratio, fingebant, νόμον vna cum aliis quibusdam rebus adfuisse ante mundum conditum, et in coelo fuisse a Deo reconditum. i) Ex eadem sentiendi ratione factum quoque est, ut eorum animos haec quoque vana occuparet spes, fore, ut imperante Messia ipsorum religio sit vniuersalis. k) Messiae vero imperium cum ex Dan. VII. aeternum fore putarent, sequitur vel hinc quodammodo, eos idem de νόμος suo sperasse. Sed quid opus est conclusione et coniectura, cum ipsi nos Iudaei haec opera eximant? Est enim locus luculentissimus, vnde intelligitur, Iudaeos credidisse, seculo Messiae, tempore resurrectionis, nec artes, nec opificia, nec quaeſtum, nec omne negotii genus esse cessaturum, idque propterea sperasse, quod his cessantibus etiam multi ritus et actiones cessarent, quas exigit lex. Hanc igitur ex eorum opinione ne tunc quidem cessare posse adparet. l) Neque vero haec tantum de seculo Messiae sunt capienda, sed etiam de mundo, transactis Messiae diebus, renouando, et in aeternum perduraturum. Ex libris potius Rabbiorum intelligitur opinio, futuri mundi ciuibus fore easdem necessitates, voluptates et negotia, quae fuerint in hoc mundo, quamuis non possit negari, quosdam, quanquam pauciores, melius sensisse. Quis igitur est, quem offendere possit Iudaeorum

A 3

de

h) φῶς auctor adhibuit, quoniam in proxime antegressis de luce dixerat. Est igitur φῶς νόμος nihil aliud, nisi νόμος ipse. Hunc vero vocat ἁφθαρτον. Quamnam vim auctor huic vocabulo tribuerit, cognosci potest ex c. XII, 1. et ex vlt. eiusdem in opposito vocabulo τοῦ φθαρτῆς vsurpando. Vsurpauit autem c. XIV, 8. φθαρτῶν ita, ut significaret ipsi, id quod perit. ἁφθαρτον igitur est, quod non perit.

i) In libro: Pirke Eliezer, satis antiquo illo, ut docuit Auctor libri: Critische Geschichte des Chiliasmus pag. 4 der Einleitung, relatum legimus, septem res fuisse ante mundum conditas, et quidem legem, infernum, Paradisum, (de Paradiso cf. quoque 4 Esdr. III, 6) thronum maiestatis, templum, poenitentiam, nomen Messiae. Cf. crit. Gesch. des Chiliasm. I. Th. 2. Abschn. et II. Th. 7. Abschn.

k) Cf. 4. Abschn. libri bis laudati.

l) Istum locum germanice exhibitum reperis in der critisch. Gesch. des Chiliasm. Abschn. XVI. p. 364.

de νόμος aeternitate sententia, quum iidem istas res in futuro mundo man-  
 furas crediderint? Poterat autem Iesus saluo officio ad hanc Iudaeorum  
 sententiam sese accommodare. Nonne enim suam religionem fundamentis  
 Iudaicae superstruxit? Nonne religio Christiana est Iudaica purior, emen-  
 datior, perfectior? Quot morum praecepta (haec sola iam nomino) Iu-  
 daica sua fecisse putandus est, cum in solis libris Apocryphis tot eius rei  
 vestigia reperiantur? Multus esse possem in hoc exemplis demonstrando,  
 sed iam in vno hoc acquiescam, quod vulgo doctrinae de moribus ratio-  
 ne aliorum hominum caput habetur, et quod a Iesu legitur iniunctum  
 Matth. c. VII, v. 12. et Luc. c. VI, v. 31. Eandem sententiam, praestan-  
 tissimam quidem, etiam Iudais iam cognitam fuisse satis luculenter docet  
 locus, qui Tob. IV, 15. reperitur. Addam hoc vnum. Quae Iesus  
 Math. VI, 14. 15. et Marc. XI, 25. 26. de peccatorum venia aliis danda  
 egregie disputat, et quae praecipit, cum Matth. VI, 12. precandi formu-  
 lam doceret, eadem iam Siracides c. XXVIII, 2-5. habet. Sed plura perfe-  
 qui prohibet festinatio, vt ad alia transeam. — Cum Iesus Luc. XVI, v. 16.  
 oratione sua, et v. 18. ff. re et facto religioni Iudaeorum plane abrogare  
 velle posset videri, quam, vt antea monui, perpetuam fore illi putasse  
 videntur, partim ambiguitate vocabuli **ἰσχυρῶς** in Scriptis Mosaicis, partim  
 traditionum auctoritate in hanc adducti sententiam, v. 17. eorum animos  
 sibi reconciliaturus dicere vult, sane eam fore perpetuam. Neque vero  
 id ait simpliciter, sed, quo luculentius grauiusque ostenderet, quam certo  
 iis de νόμος perpetuitate persuasum esse veller, addit: *ἔυκοπώτερον δὲ ἐστὶ  
 τὸν ἔρανον καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ κ. τ. λ.* Quibus verbis, nisi con-  
 torte volueris interpretari, alia subesse vis nequit, nisi haec; Vti coelum  
 et terra non interibit, ita quoque religio vestra manebit perpetua. Sua-  
 det hanc verborum *ἔυκοπώτερον ἐστὶ* interpretationem vsus loquendi Luc.  
 XVIII, 25. vbi eadem dicendi ratio ita reperitur adhibita, vt aliquid fieri  
 posse neget. Suadet eandem res ipsa. Ridiculum profecto foret, rem,  
 cuius affirmare vis perpetuitatem, cum alia re componere, quae minime  
 talis haberetur. Iam quaeri potest, quomodo Iesus τὸν ἔρανον καὶ τὴν γῆν  
*παρελθεῖν* potuerit negare? Potuit vero, loquendo ex more Iudaeorum,  
 qui cum coeli terraeque notionibus perpetuitatis notionem coniunxisse vi-  
 dentur, quod elucet ex libri Baruch c. III, v. 32. vbi Deus dicitur *ὁ κατὰ  
 σκευά-*

σπεύσας τὴν γῆν εἰς τὸν αἰῶνα χρόνον. Non vtar v. 25. eiusdem capituli, quia locus est ambiguus. Si quis enim fit in hoc commate sententiarum parallelismus, verba *ἐκ ἔχει τελευτὴν* aliam habent vim, quippe quae respondent verbo *ἀμέτρητος*. Eadem Iudaeorum sententia in loco, qui est in eodem libro Baruch c. I, v. 11, latere videtur, et quidem in verbis: *ἵνα ὡσιν αἱ ἡμέραι αὐτῶν ὡς αἱ ἡμέραι τῆ ἔρανε ἐπὶ τῆς γῆς. m)* Quem sensum huic locutioni prouerbiali, ut videtur, Iudaei subiecerint, ex versus sequentis verbis *ἡμέρας πολλὰς* intelligitur. Vitam igitur quam longissimam cum sic exprimerent, aliqua huius rei causa in eorum opinionibus latere debebat. Ex nulla vero eorum opinione hoc melius deriuari posse videtur, quam ex hac, quam ante exposui. Vere Iudaeos hanc fuisse sententiam amplexos, mundum nunquam penitus esse interiturum, sed eum iri renouatum, ex multis locis librorum Iudaicorum apparet. Instar omnium est hic, qui habetur in *Menasse* lib. III, de Resur. Mortuorum. n) In mundo illo renouato autem pios in aeternum esse versaturos statuebant. Caeterum si quis existimet, huic interpretationi repugnare locos Matth. XXIV, 35. Marc. XIII, 31. Luc. XXI, 33. is adeat Gronium ad Matth. V, 18. qui docuit, eorum sensum esse: prius fieri posse, ut coelum ac terra pereant, quarum ut a Iesu praedicta non impleantur. — Quæri possit, quare Iesus Matth. XXIV. 20. Iudaeis optet, ne fuga eorum Sabbati in diem incidat. Recte responderunt interpretes, ob nimiam, qua diem Sabbati agebant, religionem, quae tanta erat, ut dubitarent eiusmodi die iter facere, nisi ad pauca stadia, scilicet bis mille cubitos, quod *iter Sabbati* vocabatur. Verum credideris, periculi magnitudini fuisse hanc religionem cessaturam. Sed omnia alia credere nos iubet ea historia, quae scripta est I Maccab. II, 32-38. vnde pater, mortem Iudaeos maluisse oppetere, quam Sabbati die sese defendere ab hostibus, qui, cum hoc cognouissent, impetum in eos die Sabbati facere solebant, vid. 2. Macc. V, 25. c. XV, 1. 2. Quanquam enim Martathiae consilio eam perniciosam superstitionem esse sublatam auctor est Iose-

PHVS,

m) Verba *ἐπὶ τῆς γῆς*, etsi extremo posita versu, in ordine tamen construendo post *αὐτῶν* ponenda videntur.

n) „Die Welt wird nicht ganz zerstört, sondern nur erneuert werden.“

PHVS, ANT. I. XII. c. 6. §. 2. tamen partim hanc eius rationem non omnes sequenti tempore probasse, partim illud Matthiae decretum strictissime fuisse interpretatos docuit me GROTIUS ad Matth. XXIV, 20. Indidem autem adparet quoque, quid fuerit, quod Pharisei, quamvis saepe eadem in causa a Iesu refutati et ad silentium redacti, nihilo tamen fecius tam crebro ei exprobauerint hoc, quod Sabbatum profanaret, idque inprimis coram populo fecerint. Callide profecto in eo mihi videntur egisse, rati quippe, nulla re magis odium hominum in eum posse concitari, eorumque assensui melius cauere, quam si eorum animos subinde redderent attentos ad negligentiam rei ipsis sanctissimae et integerrimae, cuius se toties reum Iesus faceret. Non temere igitur Iesus Matth. XXIV, 20. τῆ σαββάτῃ mentionem fecit; neque vero etiam τῆ χειμῶνος eodem in versu. Ex libri enim I Esdr. c. IX, 6. 11. adparet, quam aspera et seuera fuerit in Palaestina hiems, quippe adeo frigore suo molesta, ut propter eius magnitudinem sub dio se stare posse negarent illi homines, qui v. 6. eadem de causa tremuisse dicuntur. — Iesus in suo cum Nicodemo colloquio, quod habetur Ioh. III. inter alia v. 17. haec profert; οὐκ ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ εἰς τὸν κόσμον, ἵνα κηρῆ τὸν κόσμον. Quid erat, quod huius opinionis mentionem faceret, eamque remoueret atque negaret? Varie respondent interpretes. Alii propterea hoc monuisse Iesum putant, quod, cum aduentu Christi Iudaei ob infidelitatem suam essent abiiciendi, quibus tamen venerat seruandis Christus, res contra erat casura, quam ab omnibus expectabatur. At Iudaei omnia alia, quam poenas a Messia expectabant suo. Alii, Grotio duce, huius orationis causam latere existimant in eo, quod Iudaei, quibus notio Dei vltoris erat solennis, peccatorum consciis potuerint expectare, filium venire ad poenas patris nomine exigendas. Sed ne huic quidem sententiae subscripserim. Mihi quidem ex omni orationis serie atque contextu horum verborum sententia videtur constituenda. Iam vero Iesus v. 16. dixerat, se venisse ἵνα πᾶς κ. τ. λ. Hanc vniuersitatis notionem v. 17. vltorius persequitur. Quemadmodum vero illud πᾶς peruersis Iudaeorum opinionibus a Iesu opponebatur, ita et ea, quae v. 17. disputat, contra eosdem disputasse censendus est. Quorsum vero? Iudaei nimirum, quod erat eorum in omnes reliquas nationes odium, et nimis magni-

magnifica de sua gente sententia, tempus aliquod fore sperabant, quo, ut ex Sap. Salom. III, 7. 8. 9. Sirac. XXXII, 18. 19. et XXXIII. intelligitur, gentibus oppressis extirpatisque ipsi sint regnaturi; idque Messiae temporibus factum iri putasse videntur. Cuius opinionis cognitio multum lucis cum nostro loco, tum etiam aliis adfert. Mens Iesu h. l. igitur haec est: Non veni alios, gentes puta, poenis affecturus, alios, puta Iudaeos, beaturus, sed uniuersum genus humanum, gentes aequae ac Iudaeos, ad felicitatem perducturus. — Auctor libri Sapientiae c. II, v. 18. improbos ita loquentes introducit: Si pius est filius Dei, i. e. vnice ab eo amatur, is ipsi erit auxilio, eumque ex aduersariorum potestate liberabit. Videtur inde apparere, in ea fuisse sententia Iudaeos, Deum cultores suos sibi caros non posse non ex calamitatibus eripere, nec eos esse posse tales, qui iis opprimantur. Hinc luculentius perspicitur sermo ille Iudaeorum Matth. XXVII, 40. 43. Quaeritur enim, cur Iesum non habuerint *υἰὸν Θεοῦ*, si penderet e cruce? cur hac potissimum ratione refutare sibi visi fuerint crebram eius *τὸ υἱὸς Θεοῦ* professionem? cur denique potissimum descensionem de crucis palo, cui affixus pendebat, argumentum habituri fuissent, eum vere dixisse, cum se *υἰὸν Θεοῦ* profiteretur? Vix crediderim, solius miraculi gratia, quod hoc modo edidisset. Multa enim ac magna miracula saepissime patrauerat. Putauerim, quia ex ipsorum cogitandi ratione vtrumque illud conciliare non poterant, aliquem esse eum, quem *υἰὸν Θεοῦ* appellabant, o) et calamitate opprimi. — Iudaei insignes calamitates non sine antegressis quibusdam signis, *οὐκ ἄνευ τῶν προγεγονότων τεκμηρίων*, ut est in libro Sapientiae c. XIX, v. 13. putabant immitti. Intelligitur ex eo, quare discipuli Iesu ex eo, de reipublicae Iudaicae eversione loquente, quaesierint Luc. c. XXI, 7. *Τί τὸ σημεῖον, ὅταν μέλη ταῦτα γινεσθῶν*; cf. etiam Matth. XXIV, 3. et Marc. c. XII, 4. — Mirari quis possit, quid sit, quod iste legis interpres Marc. XII, 33. familiae addictus Pharisaicae tam praeclare sentiat. Non est, quod dicas, eum hanc meliorem sentiendi rationem ex disciplina Iesu hausisse. Fuerunt semper

o) Adpellabant vero sic eum, quem nos lingua nostra dicimus *Liebling Gottes*. Eundem h. l. intelligi, clare patet ex v. 43. vbi *υἱὸς Θεοῦ* ita circumscribitur: *ὃν ὀφείλει Θεός, quem amat Deus, ex noto Ebraismo verbi אהב*.

semper inter Iudaeos, qui cultum diuinum non tam rebus externis, ut caerimoniis, quam animi potius sanctitate contineri censerent. Merito hic perhibetur mulier Iudaica, Iuditha, quae, ut docet nos lib. Iud. c. XVI, 16. φόβον Θεῶν iidem sacrificiis longe multumque praeferebatur. Idem Siracides c. XXXII, r. 2. praecipit: — Quam necessaria fuerit illa Iesu, auctore Matthaeo c. V, 47. admonitio, videtur esse ex Tob. IV, 13. ubi pater filium ita cohortatur: Ἀγάπα τῆς ἀδελφῆς σὺ. Ipse vero pater c. I, 3. 16. 17. in beneficiis, quae tribuerit, commemorandis, non nisi mentionem τῶν ἀδελφῶν et τοῦ ἔθνους facit. Ita hic, qui tamen maxime pius fuisse perhibetur, beneficia sua in solos restringebat populares, alios iure et saluo officio excludi posse rarus. — Non sine laude Tobias c. I, v. 6. 7. de se praedicat, ἐπὶ πλεονακίᾳ εἰς Ἱεροσόλυμα ἐν ταῖς ἑορταῖς, quippe insignis hoc habens specimen pietatis. Quid? si Lucam c. II, v. 41. parentes Iesu quotannis Hierosolymam profectos commemorantem itidem id non sine aliqua laudis significatione narrasse dicam. — In sermonibus Iesu, quos librorum Noui Testamenti auctores memoriae prodiderunt, nihil reperitur de idolorum cultu, ad quem tamen Iudaeos olim procliuus fuisse constat. Cuius silentii causa ex Iudithae c. VIII, v. 18. adparet. Etenim si Iudaei, ex quo fuerant e Babylonico reuersi exilio, ab isto vitio abhorruerunt, facile patet, qui Iesus hanc morum disciplinae partem potuerit negligere, et sicco quasi pede transire. — Quaeritur, quare Iudaei crediderint multi, Iohannem baptistam, ut est Luc. IX, 7. e morte in vitam rediisse? Scilicet multi putabant, eos inprimis resurgere, qui ob legem diuinam mortem oppetiissent. Certe de his firmior, quam de caeteris, fuit persuasio. Videtur hoc ex 2 Macc. VII, 9. elucere, quocum conferri potest aliquis IOΣΗΦΙ locus aduersus Apionem lib. II. ὅτι ταῖς τῆς νόμου διαφυλάξασι, καὶ εἰ δέρι θνήσκουσιν ὑπὲρ αὐτῶν, προθύμως ἀποθανῶσιν, ἔδωκεν ὁ Θεὸς γενέσθαι τε πάλιν, καὶ βίον ἀμείνω λαβεῖν ἐκ περιτροπῆς. Quare quibusdam etiam in hoc seculo repraesentari resurrectionis tempus crediderunt. — In opinionibus, quas de Daemonibus fouebant Iudaei, erat et haec, eos maxime locis desertis, urbium inprimis dirutarum cadaueribus gaudere. Pertinet huc locus ex libro Baruch c. IV, v. 35. Hoc si teneamus, melius perspicuntur loci Apocal. XVIII, 2. Matth. XII, 43. Luc. XI, 24. — Commemora-

moratur Matth. VIII, 21. et Luc. IX, 59. Iesus aliquem inuitasse, ut ipsum sequeretur, seque familiarium suorum numero adiungeret, qui, etsi id non omnino negauerit, petierit tamen ab eo hoc, ut sibi permitteret, ut antea reuersus ad patrem p) tam diu apud eum commoraretur, donec eum defunctum sepeliret. Quarum precum causa ex Iudaeorum sentiendi ratione est reperenda, apud quos tanta erat officii parentes sepeliendi sanctitas, ut quiduis potius aliud, vel maxime necessarium, quam illud negligerent. q) Hoc ita fuisse ostendit locus Tob. XIV, 10-12. Tobias moribundus v. 8 et 10. cohortatur filium, ut Niniven ob interitum ei imminuentem relinquat, vbi parentibus iusta soluisset v. 10. Cui patris voluntati cum morem gessisset filius v. 12. continuo Niniuem reliquisse narratur. Huic loco addi possunt quodammodo hi duo 2 Macc. V, 10. ex quo videmus, in malis habuisse Iudaeos, si quis ἀπένδητος, h. e. ita obiisset, ut nemo eum iustu prosequeretur; et 3 Macc. VI, 31. vbi mors acerba, πικρός, et quae non facile lugetur, δυσάιωκτος, coniungitur. — Inditha, etsi immatura morte maritus ei fuerat ereptus, tamen ad secunda vota non transisse narratur, quamuis a multis in matrimonium perita, vid. Iud. XVI, 22. Laudi igitur ducebatur mulieri Iudaeae abstinentia a nuptiis secundis. Hinc in promptu est, quare Lucas Euang. c. II, 37. commemorauerit, Hannam, mulierem Iudaicam, nulli iterum nupsisse viro, cum tamen non nisi septem annos in matrimonio vixerit. Si rem ex Iudaeorum sentiendi ratione iudicaueris, vti est iudicanda, hoc faciebat ad eius foeminae laudem, in qua enumeranda Lucas versatur in illo loco. Verba igitur eius, καὶ αὕτη χήρα ὡς ἐτῶν ὀγδοηκοντατεσσαράρων, non modo describunt feminam, sed eiusdem quoque laudem inuoluunt. — Plures in N. T. libris occurrunt loci, vnde Iudaeorum erga Samaritanos odium elucet. r) In causas huius odii inquirentibus non est negligendus

B 2

locus

p) Sine dubio iam senem, fortasse etiam iam aegrotum.

q) *Schaetzgen* in H. H. ad locum priorem obseruauit, cessare propter id debuisse legis adeo studium.

r) Ioh. IV, 5-42. Luc. IX, 52-54. Matth. X, 5. vbi Iudaeis Iesus indulget. Ioh. X, 48. in prouerbium contumeliosum abierat nomen Samaritanum. Luc. X, 25-37. amorem suadere videtur. C. XVII, 16. odium illud habetur iniustum et indignum.



locus Siracidae c. L, v. 25. 26. Auctor, Iudaeus, 1) tria hominum genera commemorat, quae odio habeat; in his Samaritanos et Sicemitas, virosque regionis Samariae incolas. Hos dum vocat *καὶν μαρὸν*, causam afferre videtur, quare eos odio prosequatur. Hoc enim nomine Iudaeis veniebant a cultu Dei Iudaico alieni. 2) Neque solum cum usu loquendi, sed cum historia quoque haec interpretatio conspirat. Constat enim, Samaritanos fuisse partim externae originis, neque religionis consortio cum Iudaeis confociatos, partim Iudaeos, qui relictis patriis ritibus ad illos defecerant. 3) — Unus e septem illis fratribus Iudaeis, quos, cum contra legem patriam facere recusassent, ad supplicium Antiochus trahi iussit, se ipse, cum subiret cruciatus, hac consolatur spe, fore, ut ipse, qui iam vitam pro legibus divinis profundat, aliquando in vitam redeat. vid. 2. Macc. VII. Idem vero hoc Antiochum sperare posse negat. Dicit enim: *σοὶ μὲν γὰρ ἀνάσσεις εἰς ζωὴν ἐκ ἔσται*. Videtur quidem eius reditum in vitam concedere, et desperare de reditu in vitam *felicem*. Sed loci accuratius considerato, aliter se res habere videtur. Oppositio enim requirit hunc sensum: *Equidem spero reditum in vitam;* (dicit enim *ἀνάσσεις* simpliciter, non addit *εἰς ζωὴν*) *tū vero reditum in vitam non potes sperare.* Vocabulum *ζωῆς* neque h. l. neque v. 9. de *felicitate*, sed de *vita* proprie accepta esse intelligendum docet alius eiusdem capituli locus, nimirum v. 23. parallelus versibus 9. et 14. Coniungitur vero, quod praecipuum est, v. 23. cum vocabulo *ζωῆς* vocabulum *πνεῦμα*. Quam vero vim *ζωῆ* habet in locutione illa: *ζωὴν ἀποδιδόναι*, (est autem: *vitam reddere*) eandem debet habere in locutione *ἀνίστασθαι εἰς ζωὴν*. Neque est, quod quis dicat, notionem *ζωῆς* iam inesse τῷ *ἀνίστασθαι* et *ἀνίστασθαι*. Quem enim fugit, Latinos quoque dicere: *vitam vivere?* Accedit huc, quod plurimi Iudaei in hanc fuerint proclives sententiam, non omnes mortuos aliquando in vitam esse redituros. Quidam impiis abnegant resurrectionem, quidam omnibus praeter Iudaeos. Cuius rei testimonia qui velis nosse, adeat: *Critische Geschichte des Chiliasmus, Th. I. Abschn. XVI. pag. 351. ff.* Ad hanc igitur opinionem Iesus

1) Cap. E. v. 27. vocat se *Ἱεροσολυμίτην*.

2) Cf. Psalm. XIV, v. 1. coll. 4. et Ps. LIII. 2. 5.

3) Conferri possunt loci 2 Reg. XVII, 24. 28. 33.

Iesus Luc. XX, 27. respexisse videtur, cui iam tum haud dubie quidam fuerunt additi; non quidem quo eum dicamus idem docuissis, sed ita, ut ex illorum Iudaeorum sententia dixisse eum censeamus. Adparet igitur, quomodo Iesus, qui futuram resurrectionem ad omnes pertinere docebat, h. l. dicere possit: *οὐ κατὰ ζωὴν δεύτες τῆς ἀνοσώτου τῆς ἐν νεκρῶν*. Sententia enim verbis subiicienda est haec: *Pii, quos dicitis dignos fore altero seculo et resurrectione.* — Expositis his, quae Esdras per somnium aliquando viderat, idem ille deinde a Deo petit, ut sibi somnium istud enarraretur. 4 Esdr. c. XIII. Quibus eius precibus v. 23. annuitur, et species quidem viri, e mari medio ascendens, quae somnianti illi fuerat obiecta, v. v. 25 et 26. hac explicatur interpretatione: *Quia vidisti virum ascendentem de corde maris, ipse est, quem conseruat Altissimus multis temporibus, qui per semetipsum liberabit creaturam suam etc.* Explicatur igitur per Messiam, quem Deus dicitur diu conseruare, h. e. qui diu ante, quam tempus redemptionis veniat, adesse, et alicubi versari dicitur. Horum verborum hanc esse vim patet ex v. 52. Quae enim Esdras, quare viderit virum ascendentem e medio mari, responsi tulit hoc: *Sicut non potes haec scrutari vel scire, quae sunt in profundo maris: Sic non poterit quisque super terram videre filium meum; vel eos, qui cum eo sunt, x) nisi in tempore diei.* Latet igitur in his verbis opinio Iudaeorum, Messiam iam dudum fuisse natum, neque, nisi tempore definito, eum conspicuum fieri, sed, donec aduenerit, ignotum vsquam versari. y) Ex qua Iudaeorum opinione si explicaueris locum Ioh. VII, 27. tollitur aliqua difficultas, qua locus ille laborat. Etenim si locum ita accipiamus: *hic vnde oriundus, ubi natus sit bene scimus, Messias vero venturus nemo scit vnde sit oriundus:* haec explicatio repugnat doctorum Iudaicorum de Messia disciplinae, ex qua Berthehemum patriam Messiae esse dicebant. z) Bene autem Iudaeorum de Messia expectationi conuenit interpretatio haec:

B 3

Scimus

- x) Iudaei sperabant cum Messia plures esse venturos. Cf. 4 Esdr. VII, 28: „*Reuelabitur filius meus cum his, qui cum eo sunt.*“ Quidam Mosem, alii Eliam, Melchisedecum et veteres prophetas Messiae comites et *παροδείμας* fore sperabant.
- y) Pluribus haec opinio demonstrata reperitur in *der critisch. Gesch. des Chiliasm. Th. I. Abschn. XI.* Inprimis huc facit locus ex *Dial. Iustini Mart.* ibi laudatus.
- z) Cf. *Tractatus Berachot Talmud. Hieros.* et *Commentarius in Genesim, (Bereschit Rabba)* quos locos adscribere non vacat, quippe paullo longiores. Cf. quoque Ioh. VII, 42. Matth. II, 6.

Scimus, vnde venerit hic; (et vbi inde a sua Bethlehemi natiuitate fuerit versatus) multo vero alia veri Messiae erit ratio, quem nos expectamus. Is vnde venerit, et vbi a natiuitate sua sit versatus nemo non nesciet. Sine dubio enim iam tum fabula ferebat, Messiam iam dudum Bethlehemi natum vsquam in mundo vsque ad suum aduentum versari in loco incognito atque obscuro. Sufficiant haec ad demonstrandam librorum Apocryphorum vtilitatem ad N. T. interpretandum, quatenus ex iis cogitandi sentiendique ratio Iudaeorum potest cognosci. Restat, vt doceam, eos quoque hac ratione prodesse atque consulere N. T. interpretando, quoniam ex iis institutorum, rituum ac morum Iudaicorum cognitio possit depromi, quos nosse debet, qui rite vult N. T. libros interpretari.

Iohannes in Euangelio c. X, v. 22. commemorat, festos quosdam Iudaeorum dies, qui vocantur *ἑγκαίνια*. Quorum origines, tempus et omnem reliquam rationem si quis accuratius velit nosse, is adeat locum I Maccab. IV, 59. ex quo intelligimus, fuisse hos dies festos quotannis per octiduum, inde a die vicesimo quinto mensis Chasleu, qui ex parte Decembri nostro respondet, ad memoriam cultus templi a gentibus profanati, et a Iuda Maccabaeo restaurati recolendam ex eiusdem auctoritate summa cum laetitia celebratos. Cf. 2 Macc. X, 5-8. — Constat, doctores a Iudaeis *patrum* nomine fuisse insignitos. Quare interpretibus Iesus Matth. XXIII, 9. ad illum morem respexisse videtur, praesertim cum eo in loco discipulis suis, futuris doctoribus tradere videatur praecepta. Sed forte latius patere voluit Iesus illud v. 9. praeceptum. Ex 2 Maccab. XIV, 37. enim adparet, fuisse Iudaeos paullo liberaliores in *patris* nomine tribuendo, iisque solenne fuisse, alios quoque aliorum ordinum homines, ciuium amantes ac studiosos, honorifico hoc nomine condecorare. Neque repugnat huic sententiae Matthaeus, qui v. 1. haec Iesum non ad solos discipulos, sed ad populum quoque dixisse auctor est. — Praeceptum Iesu Matth. VI, v. 6. spectat morem Iudaeorum, a quo tunc temporis multi recessisse videntur, qui praecipuae pietatis laudem affectabant. Neque igitur adeo vrgenda videntur verba *ἔισελθε εἰς τὸ ταμιεῖόν σου, καὶ κλέισας τὴν θύραν σου* in precibus faciendis. Adduntur enim haec, quia ex recepto inter Iudaeos more vtrumque fere solebat esse iunctum. Vide Tob. III, v. 17. extr. coll. v. 11. et Judith, X, v. 1. 2. —

Fuisse

Fuisse olim inter Iudaeos morem, in quibusdam conuiuiis pauperum habendi rationem, eosque vel vocandi, vel iis mittendi, ex locis 1 Esdr. IX, 51, 54. et Tob. II, 2. potest cognosci. Qui laudabilis mos aetate Iesu in desuetudinem venisse neglectusque fuisse videtur. Hinc illi Domini nostri apud Lucam c. XIV, 12-14. orationi aliqua affunditur lux, Vocatus aliquando Iesus a Phariseo aliquo amplissimo cum animaduerneret, conuiuas esse homines ditiores, hospiti propinqua cognatione coniunctos, et vicinos, in mentem ei egregiam istam inter ciues quondam ex legibus Mosaicis receptam consuetudinem reuocat. — Discipulos Iesu in itineribus, quae vna cum eo faciebant, saepe legimus in N. T. secum habuisse sportas et cophinos. Vide hos locos: Matth. XIV, 20, XV, 37. Marc. VIII, 8. VI, 43. Luc. IX, 17. Ioh. VI, 13. Quod qui factum sit docere nos possunt loci Iudith. c. X, 5. XII, 2-4. Tob. I, 10. II. Fiebat vero ex more Iudaeis vsitato, qui, quoties longius ab oppidis iter facerent, cophinos secum ferebant, a cibus gentiliū abstinentes. a) — Turpis inter Iudaeos obtinebat consuetudo, quavis, vel leuissima de causa vxores dimittendi. Permiserat Moses maritis Iudaeis sub quadam lege vxoribus diuortii libellos dandi facultatem. Qua libertate Iudaei abusi deinde sunt. Sed fuerunt etiam inter sapientiores Iudaeos, qui turpem hanc consuetudinem minus probarent. In duas igitur partes abire coeperunt, quarum altera diuortia probabat omnia, altera non nisi quibusdam in causis ea licita putabat atque permitta. Siracidae iam tempore haec sententiarum diuersitas fuisse videtur, vt suadet locus Siracidae c. VII, v. 19. 26. Fortasse huc quoque pertinent loci c. IX, 1. c. XXVIII, 15. Propierea enim sua haec praecepta isti nimiae in repudiandis vxoribus licentiae opponere videtur. Natae sunt hinc duae familiae, Hillelis altera, altera Schammai, quorum illa diuortium semper, haec interdum tantum licere censebat. b) Sed quorsum haec disputo? eo scilicet, vt adpareat, non temere quaesiuisse Matth. XIX, 3. Phariseos ex Iesu, quid sentiret ipse de diuortii. Volebant Iesu inimicitias conciliare ex definitione iuris huius

a) Intelligitur hinc quoque IUVENACIS, qui Sat. III, v. 14. ita scribit: *Iudaeis* (loquitur autem de pauperibus) *quorum cophinus foenumque suppellex.*

b) Cf. EIGHTFOOT in h. l. et MICHAELIS *Mosaisches Rechr.* II. Th. S. 325. f.

huius controuersi, quod Rabbinici doctores ne Eliam quidem dirimere posse iactabant, Messiae *περόδομον*, a cuius diuina sapientia litium inter doctores diremptionem, et omnis iuris controuersi definitionem expectabant. c) — Sepulta dicitur Iuditha c. XVI, v. 23. *ἐν τῷ σπηλαίῳ τῆ ἀνδρὸς αὐτῆς*. Confirmatur hinc mos Iudaeorum, ex quo corpus Iesu exlangue, vt Matthaeus c. XVII, v. 60. auctor est, in sepulcro est reconditum, quod in rupe erat excisum. Ditiore Iudaei, qualis Iosephus ille, talia sepulcra sibi excindi curabant. Manasse vero et Iuditha c. VIII, v. 7. ipsi quoque beati fuisse dicuntur. — Postremus Iesu Hierosolymis aduentus ex narratione Matthaei c. XXI, 8. ita excipiebatur a mulis, vt arborum ramos sternerent, qua iturus erat, et secundum Iohannem c. XII, v. 13. vt iis omnino multitudo obuiam ei procedens vreretur. Ratione Iesu, cuius causa haec fiebant, erant ea sane noua, inaudita, singularia, neque vero per se, quippe Iudaeis laetitiae publicae signa, cf. 2 Macc. X, 7. 1 Macc. XIII, 51. Quemadmodum vero Graeci et Romani eo honore imprimis victores afficiebant, d) ita et Iudaei facere solebant, cf. Iudith. c. XV, 12. 13. E quibus elucet, quid senserit cogitaueritque multitudo Iesu obuiam procedens, eumque concomitans. Sine dubio enim spes eam tenebat, fore, vt hunc aduentum Iesu solennis regni diu iam expectati occupatio consequeretur, e) hinc triumphae laetitiam praecipiebant. Et quo tandem alio consilio homines, consiliorum eius ignari, eum iam Hierosolymas venire sperare debebant, nisi hoc, vt hostibus oppressis regnum occuparet. Nisi hoc venisset, eum omnino non fuisse venturum sibi persuaderent, necesse erat, quos latere non poterant, quae summus Senatus Hierosolymitanus contra eum ceperat, consilia, ex quibus omnes ac singuli, qui locum, in quo versaretur, scirent, id denunciare iuebantur. — Mater Ebraea 2 Macc. VII, v. 27. in sua ad filium oratione commemorat etiam hoc, quod ipsum per tres annos lactauerit. Intelligitur itaque

- c) Cf. Auctor *der critisch. Gesch. des Chil. Th. I. Abschn. XII. pag. 300.* et, quem ille laudat, LIGHTFOOT in *Horis Talm. in Matth. XVI, 10.*  
d) Cf. VOSSIVS in *Comment. ad Iul. Caes. de B. G. l. VIII, c. 51.* qui locus ipse huc pertinet.  
e) Cf. LUC. XIX, 11.

itaque, quomodo locum habere possint verba, quae Iesus Matth. XXI, 16. prouerbialiter ex Psalmo octauo laudat, ἐν φόματος θηλαζόντων κατηρησάσθαι. Quid enim mirum, paruulos tamdiu lactentes posse fari? f) — Ad templi Hierosolymitani ornatum et magnificentiam augendam solebant a ciuitatibus et a singulis hominibus, regibus praecipue, multa ibi donaria vel seponi, vel suspendi. Antiochus grauiter afflictus 2 Macc. IX, 15. uouet, se templum καλλίστοις ἀναθήμασι κοσμήσειν. 2 Macc. III, 2. reges dicuntur τὰ ἱερόν ἀποσολαῖς ταῖς κρατίσταις δοξάζειν. Vide sis etiam 1 Macc. IV, 57. XV, 9. 2 Macc. XIII, 23. Huic igitur mori debebantur illa ἀναθήματα, quae Luc. XXI, 5. commemorantur. — Ex 1 Macc. III, 47. 2 Macc. XIII, 12. et Iudith. VIII, 6. intelligitur, ieiunia apud Iudaeos fuisse luctus signa, eiusque comites. Hinc adparet, quare, qui Matth. IX, 15. dicuntur πενθεῖν, iidem versu eodem νηστεύειν dicantur; et uero etiam, quare Marcus et Lucas pro πενθεῖν, quod est apud Matthaeum, ponere potuerint νηστεύειν. Hoc ita esse patet etiam exinde, quod Iudaei religioni sibi ducebant, Sabbati die ieiunare, qui erat laetitiae dicitur, cf. Iudith. VIII, 6. Hinc saepius legimus Iesum Sabbati diebus esse ad epulas uocatum, v. c. Luc. XIV, 1. — In euangelio Iohannis c. II, 8. 9. ἀρχιτερέλινος occurrit, qui uina praegustat. Vfos fuisse Iudaeos in conuiujs aliquo symposiarcha, quem magistrum conuiuii ad morem Romanorum notissimum adpellaueris, patet ex Sirac. c. XXXV, 1. 2. ubi nonnulla de eius officijs praecipiuntur ab auctore. Ἦγεμὲν enim ibi esse hanc vim, cum ex eo loco ipso, tum ex antegressis in c. XXXIV. intelligitur, quod cum hoc arctissime cohaeret. — Iesus Matth. c. VI, v. 1. 5. 16. exemplis beneficentiae, precationis et ieiuniorum docet, non posse Deo probari, quae ideo fiant, ut laus et gratia captetur. Quod uero cohaerenter haec tria exercitorum pietatis genera posuit, hoc non sine exemplo fecit. Solebant enim haec a Iudaeis ut res eiusdem generis iungi. Cf. Tob. XII, 8. ut alios locos taceam. — Ex locis Iudithae c. X, 3. c. XVI, 8. adparet, lauari et ungi solitos fuisse Iudaeos extra luctus tempora, praecipue quoties solito laetiores fuerint. In promptu igitur est sententia,

C

quae

f) Cf. Euang. de Natū. Mariae apud FABRICIUM in Cod. Apoc. Nou. Test. Tom. I. pag. 24 et 26.

quae subiicienda est verbis Iesu Matth. VI, 17. Vult scilicet, ut ieiunantes habitum praeferant quotidianum, et vultum hilarem potius, quam tristem ac seuerum. — Legentes apostolorum literas animaduertimus, omnes, si a paucis recesseris, habere hoc commune, ut in earum exordiis auctores coetibus Christianorum, vel singulis Christianis confirment, *se semper et perpetuo eorum in precibus suis recordari*. Animaduertitur etiam in ipsis adeo verbis, quibus haec exprimunt, quaedam constantia, qua factum est, ut in epistolis sacris saepe recurat formula πάντοτε καὶ ἀδιαλείπτως μνείαν τινὸς ποιῆσαι ἐπὶ τῶν προσευχῶν vel plena, vel curtata. Itaque cum omnium fere N. T. epistolarum in ea re similitudinem etiam auctoritate epistolarum duarum ductus, quae ipsae quoque a Iudaeo ad Iudaeos conscriptae dicuntur, et quarum exemplaria 1 Macc. XII. et 2 Macc. I. exhibentur, g) existimo, fuisse hanc quandam epistolarum legem et carmen aliquod inter Iudaeos receptum, quod Apostoli in suis, quas ad Christianos miserunt, literis retinuerint. Cum vero pro religionis fociis preces facere, bonaque pro iis nuncupare vota in summo ponerent officio Iudaei, quod ex 1 Macc. XII, 11. adparet, facile est ad intelligendum, quare Paulus ad Rom. I, 9. adeo grauibus vsus fuerit verbis, ut scriberet: Μάρτυς γάρ με ἐστὶν ὁ Θεός, ὡς κ. τ. λ. — Haec habui dicere de vtilitate, quae ex libris V. T. Apocryphis in res, quas N. T. libri continent, redundat. Quae etsi non ea sunt, quibus non possint grauiora substitui, tamen minutae quoque res et paruae, ut in omnibus, ita quoque in interpretatione summam saepe vim solent habere, earumque ignoratio quanto interpretationi literarum sacrarum fuerit detrimento, saepissime est cognitum.

g) Et quidem ex priori loco pertinet huc v. 11. ex posteriori v. 6.

# AUCTORI CLARISSIMO

S. P. D.

P R A E S E S.

Cum mihi significasses consilium TVVM, scribendi nonnulla de usu, quem librorum apocryphorum V.T. lectio possit præbere in illustrandis rebus, quae nouo Testamento continentur: tantum absuit, ut comprimendum putarem eius operis conatum, ut laudanda mihi videretur et excitanda illa TVA sollertia, quae elaborare vellet in argumento graui, quod nondum satis tractauit virorum doctorum diligentia. Sciebam enim, e libris apocryphis peti posse multa, quae aperiant vim et origines opinionum, quas noui Testamenti Scriptores et commemorant saepe, et oppugnant. Videbam, hos libros egregie illustrare ingenium Iudaicum, omnemque sentiendi et agendi consuetudinem eorum, qui post exsilium Babylonicum vixerunt; imprimis vero disci ex iis posse rationem, quam istorum temporum homines sequi solebant, cum libris gentis suae sacris vterentur, cum loquerentur de religione ac dissererent, cum se suaque omnia cum gentibus exteris contenderent. Haec et alia multa, sciebam, rectius intelligi ab eo, qui hos libros diligenter cognouerit, indeque lucem capere non tantum ea, quae Christus ipse docuerit, ac tradi iusserit; sed etiam planum fieri, cur omnia sic, nec aliter a primis christianae religionis magistris fuerint proposita. Hoc autem, facile intelligis, VIR CLARISSIME, imprimis tenere debere eum, qui feliciter versari voluerit in quaestione difficillima, quid et quantum in institutis Domini et apostolorum ad homines omnes pertineat, sitque semper et vbique credendum et seruandum; quidue sit referendum ad  
 solos



folos Iudaeos, propriumque loco et genti, cui primum affulserit lux religionis Christianae. Nihil vider, qui de re tam graui quidquam vtiliter praecipere decernique posse putat, sine cogitata lectione librorum apocryphorum, e quibus TV res et placita N. T. multa illustranda esse, recte censes. Sed usam librorum apocryphorum eum, quem ultimo loco commemorauit, esse TV, VIR CLARISSIME, non nisi leuiter tetigisti: tamen libellus, a TE propositus, qui totus est TVVS, et in quo ad me ne verbulum quidem pertinet, satis docet, quantum profeceris, et quam varia sit in TE, quam elegans et accurata doctrina. Ego vero TE publice per hanc occasionem alloquor eo libentius, quod non modo per plures annos adscriptus fuisti societati illi meae, quae priuaris exercitationibus litteras tractat: verum etiam ingenio, diligentia indefessa, moribus honestis ac probis, voluntate denique in me TVA dudum effecisti, vt TE imprimis amarem, et numerarem in his, de quibus praecleara quaeuis et spero, et confidentius polliceri posse mihi videor. Opto igitur vehementer, vt aliquando larga feras diligentiae TVAE praemia, TIBIQUE et societatis, cuius TV magnum fuisti ornamentum, meaeque disciplinae memoriam vehementer commendo. Vale. Scr. Vitebergae, d. XXVIII. Sept. MDCCLXXXVII.



